ſit, eſſe in iis partem, quam calor fermentativus ſtomachi, qui cum ſalſedine quapiam & acrimonia conjunctus ſemper eſt, digerere poſſit. Commentum itaque alchymiſticum hoc eſt, opinióque erroneæ, cujus me quoque aſſeclam olim profeſſus ſum. Nunc verò rationes has experientiâ conſequutus, alîus ſum mentis, agnitæq́; veritati, cui ſanctè nemo non medicorum obſtrictus eſſe debet, manus dudum dedi.

Aphoriſmus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes paſſim tradunt chymici quarum omnium optima eſt, quæ corallos crudos, per acetum deſtillatum in magiſteriũ